



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quæ mala vulgo propter Iohannis eiectionem euenerint, & de infidiis per  
Sicarios illi structus. Cap. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**



*Qua mala vulgo propter Iohannis electionem  
euenerint, & de insidiis per Sicarios illi  
structis. CAP. XXI.*

**I**ohannes ergo depositus, ecclesiastico munere non amplius fungitur, sed in episcopali diuersorio quiescit: Iam autem finita quadagesima, in ipsa sacra nocte qua anniuersarium festum celebratur, ad memoriam resurrectionis dominicæ, qui Iohannis fautores erant Ecclesia extruduntur, inuadentibus eos interim dum mysterijs adhuc occupantur, militibus atq; illius hostibus. quæ quidem res cum ex improviso accideret, ingés tumultus oriebatur circa Baptisteriũ, mulieribus euulãtibus ac turbatis, pueris plorantibus, sacerdotibus verò ac ministris vapulãtibus, & in ornatu, vt erãt per vim raptatis. Cætera enim, quæ in tanta confusione fuisse facta cõsentaneum est, qui Christo dederunt nomen, haud ignorant, ego autem necessariò tacebo, ne quis fortè profanus in hanc historiam incida: Reliqua igitur multitudo vbi insidias istas comperisset, postridie relicta ecclesia in publicum Balneum admodum amplum Imperatoris Constantij nomine insigne congregata, Pascha celebrauit, sub Episcopis & presbyteris & reliquis alijs, quibus ecclesiam gubernare fas est, qui tum, vt Iohannis fautores, populo adherant. Cæterum & hinc rursus expulsi conuenerunt autem urbem in quendam locum, quem Constantinus Imperator, nondum ciuitatem auspiciatus, in equestri certaminis spectaculum adornarat asseribus conuallatum: Deinceps verò interdum hic, interdum alibi, prout concedebatur, priuatim cõgregabantur, ac Iohannitæ vocabantur. Eadem tempestate vir quidam dæmonijs agiratus seu agitari creditus, gladiolum habens, & velut ad eadem Iohannis instructus, sed facinus nondum aggressus deprehenditur, & à multitudine tanquam pretio ad insidias faciendas conductus esset, captus ad Hyparchum abducitur. Quem tamen Iohannes missis aliquot episcopis socium versantibus liberauit, anteq̃ supplicio afficeretur

Postea



SOZOMENI HISTOR.

Postea verò & Elpidij presbyteri, (qui quidè diaconi manifestus hostis erat) seruus in episcopales aedes effuso cursu irrupit. eum agnitum quidam ex his, qui forte aderant, è cursu remoratus est, & causam cursus inquisiuit. Ille verò nihil respondens confestim cultello hominem pungit, & post eum etiam alterum, qui ad huius cædem exclamauerat, quin & præter hos etiam tertium vulnerat. Tumultuantibus igitur cum clamore his, qui aderant, conuersus aufugit, & cum hi, qui eum persequiebantur, eos, qui procul erant adhortarentur vt fugientem comprehenderent, ex balneo quidam accurrens, ex quo recens lotus progrediebatur, illum apprehendit, ac lætaliter ab illo percussus mortuus extenditur: Tandè verò cum à multitudine vndique cinctus, ac vix demum comprehensus esset, abducunt eum ad palatium, & ibi tum hostium Iohannis infidias, tum ipsum hunc homicidam, tum & huius facinoris instigatores contestati supplicio afficiendos esse vociferantur. Itaque Hyparchus, vt iram populi mitigaret, illi tanquam supplicio affecturus accepit.

*Quo modo Iohannes Chrysofostomus iniuste sua sede expulsus, & ob eam rem tumultus excitatus fuerit, & de ecclesie incendio, & de Iohannis apud Cucusum exilio. CAP. XXII.*

**E**X eo tempore Iohannem porò custodierunt, qui in populo feruentiores erant, noctu iuxta atque interdium vicissim domum episcopalem circumfidentes: Episcopi verò qui aduersus illum conueniant, ecclesiasticarum legum confusionem fieri conquesti, ad se ipsos recipere aiebant, quòd iustissima esset, latam aduersus ipsum sententiam, atque illum vrbe excedere iuebant, alioqui enim nec populum quidem conquieturum: Cum itaque & ab Imperatore missus insuper quidam minis adiectis id faciendam præciperet, clam populi custodibus egressus est, id conquestus tantum, q̄ præter leges ac per vim euiceretur, què ne iudicio quidè dignati essent, quod & homicidis & præstigiatoribus, & adulteris ex lege concederetur,